

*Omnia vestra sunt, vos autem Christi,
Christus autem Dei.*

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios

3, 16-23

Fratres:

- ¹⁶ **N**escítis quia templum Dei estis,
et Spíritus Dei hábitat in vobis?
- ¹⁷ Si quis autem templum Dei evérterit,
evértet illum Deus;
templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.
- ¹⁸ Nemo se sedúcat;
si quis vidétur sápiens esse inter vos in hoc sáculo,
stultus fiat, ut sit sápiens.
- ¹⁹ Sapiéntia enim huius mundi stultítia est apud Deum.
Scriptum est enim:
«Qui apprehéndit sapiéntes in astútia eórum»;
- ²⁰ et íterum:
«Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium,
quóniam vanæ sunt».
- ²¹ Itaque nemo gloriétur in homínibus.
Omnia enim vestra sunt,
- ²² sive Paulus sive Apóllo sive Cephas sive mundus
sive vita sive mors sive præsentia sive futúra,
ómnia enim vestra sunt,
- ²³ vos autem Christi,
Christus autem Dei.

Verbum Dómini.